



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Judiciis Ecclesiasticis Ad Germaniæ Catholicæ
Principia Et Usum**

De iudiciis civilibus

Zech, Franz Xaver

Ingolstadii [u.a.], 1765

Titulus XV. De Novi Operis Nuntiatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68163](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68163)

TITULUS XV.
DE NOVI OPERIS NUNTIATIONE.

Conf. Decretal. Lib. V. tit. 32.

§. 175.

Effectum **A**NALOGIAM cum Citatione habet &
Citatio- ideo priori Titulo mox subicitur
nis habet *Novi Operis Nuntiatio*, quæ est prohi-
Novi O- bitio legitima novum opus paranti fa-
peris Nun- cta, ne in ædificando pergat, donec
tiatio. de jure ædificandi, vel ædificium im-
mutandi constiterit, aut eo nomine
præstita prius sit satisfactio. Si autem
opus jam perfectum sit, locum non
habet novi operis nuntiatio: sed is,
cui opus factum nocet, potest institue-
re actionem quod vi aut clam; aut
si nulla vis & clandestinitas appareat,
actionem negatoriam.

§. 176.

ri, litem quoad hoc pendere censemus, post-
quam a Judice competenti in ea citatio e-
manavit, & ad partem citatam pervenit:
vel per eam factum fuit, quo minus ad
ejus notitiam perveniret; dum tamen in
citatione prædicta talia sint expressa, per
que plene possit instrui, super quibus in
Judicio convenitur. Clemen. 2. ut lit.
pend. &c. Consonat Auth. Litigiosa.

§. 176. *Novum opus dicitur, quod Hæc ex-
aliquis ædificare incipit, vel in fundo plicatur,
alieno, vel in suo cum præjudicio al-
terius; aut pristinam ædificii formam
cum alieno præjudicio immutare in-
tendit, uti aperiendo fenestram erga
hortum alterius. Nuntiare novum o-
pus aliud non est, quam prohibere
novam structuram, quæ jam inchoa-
ta, vel saltem ad eam inchoandam a-
ctus præparatorius jam positus est. Ad
hanc prohibitionem jus habet ille, in
cujus præjudicium structura fieri exi-
stimatur. Potest quidem in suo fun-
do quivis ædificare, quidquid volue-
rit, etiam cum aliquo vicini incom-
modo: præsumitur tamen malitiose
novum opus fieri ad æmulationem vi-
cini seu ad molestias ei creandas, si
ædificanti nulla inde proveniat utili-
tas; ex hac igitur causa prohiberi po-
test, neque enim malitiis indulgendum
est 15.). Præsertim Religiosi non to-
lerant, ædes vicini adeo attolli, vel fe-
nestram in illis aperiri, ut inde pro-*

O 4 spe-

C. de Litigiosis. Et sic corrigitur jus
antiquum. C. 30. de V. S. & L. 1. ff.
de Litigiosis.

15.) L. 38. ff. de R. V. In hanc rem ali-
qua dicta sunt de Jur. Rer. Eccl. Sect.

spectus pateat in hortum vel aream suam, ex ea etiam ratione, ne ipsis Religiosis, præcipue Monialibus, liber sit prospectus ad vicinas fenestras Laicorum, & inde præbeatur occasio vani commercii.

Est Verbalis, vel Realis. §. 177. Nuntiatio fit vel solis verbis, monendo ipsum ædificantem, aut opifices, ut desistant, & dicitur *Verbalis*: vel fit injiciendo lapillum in ædificium jam inchoatum 16.): vel dispergendo lapides; aut destruendo, quod in nostro fundo ædificatur; & dicitur *Realis*. Si id fiat autoritate Judicis, dicitur *Publica*; si absque præscitu Judicis, dicitur *Privata*. Hæc privata hodie parum curatur, præsertim si solis verbis fiat: deberet igitur adhiberi autoritas Judicis, & Mandatum inhibitorium impetrari.

Ejus Effectus. §. 178. Si quis sprete nuntiatione, modo hæc non fuerit notorie injusta, pergat ædificare, tenetur suis impensis demoliri ædificationem, nec prius auditur a Judice, nisi nuntians velit esse con-

4. §. 397. n. IX. Vid. OLDENBURGER De quatuor Elementis. Tit. 4. De Jure circa aërem. §. 5. m. fol. 433. 16.) Iste ritus prohibendi novum opus

contentus præstita satisfactione de demolitione, si ædificans perdidit litem in Judicio. Hanc cautionem nuntians tenetur admittere, si dilatio ædificii allatura sit damnum ædificanti, uti, si mox inciderent menses hyemales: eam tamen nec nuntians admittere tenetur, nec Judex recipere deberet, si jus prohibendi sit liquidum, aut valde verosimile: vicissim argumenta ædificantis parum ponderis habere videantur. Si autem absque hac Satisfactione pergeret ædificare in fundo, quem nuntians possidet, vel postquam desit, iterum inciperet, potest nuntians propria autoritate id, quod post nuntiationem ædificatum est, destruere, vel ab ædificando impedire, etiam vi adhibita: hæc enim est possessionis defensio, quæ unicuique privato licet, modo id fiat lite nondum pendente apud Judicem. Ex parte autem nuntiantis operatur Nuntiatio, ut teneatur de dolo, actione injuriarum, aut interdicto ne vis fiat, vel interdicto

O 5

uti

per jactum lapilli, de quo ULPIANUS in L. 5. §. 10. ff. de op. nov. nunt. hodie non est in usu. Vid. LEYSERUS Vol. 6. specim. 426. med. 5.

uti possidetis, si deprehendatur injuste & male nuntiasse. Inter Principes & Nobiles plerumque intercedunt arma.

*Exemplum
Nunt.*

nov. oper.

§. 179. Famosa est Nuntiatio novi operis, qua Elector Palatinus Fridericus V. Anno 1618, impedire conatus est munitionem Pagi & Arcis Udenheim, quam moliebatur Philippus Christophorus Episcopus Spirensis. Opus vi armata destructum rursus aggressus est Episcopus, Friderico Electore ob turbas Bohemicas Provinciis & Dignitatibus suis spoliato, & in exilium pulso: & demum Munimentum omnibus numeris perfectum 1. Maji 1623, S. Philippo Apostolo, cujus nomen gerebat, dedicavit & Philippopolin (Philippsburg) dixit, in multis belli, pacisque negotiis hucusque celebrem. In sumptus & damna, quibus violenta destructio occasionem dedit, condemnata fuit Urbs Spirensis, quæ cum Electore Palatino contra Episcopum conspiraverat 17.)

Porro

17.) Totam rei seriem, & utriusque partis Rationes typis editas videre licet in Theatro Europæo ad annum 1618. & apud LONDORP. Act. publ. tom. 1.

Porro in tota hac materia Nuntiatio-
nis novi operis Jus Canonicum se ple-
ne conformat Legibus Civilibus. Nam
*sicut Leges non dedignantur sacros Cano-
nes imitari, ita & sacrorum statuta Cano-
num, Principum Constitutionibus adjuvan-
tur 18.).*

§. 180. Nuntiatio novi operis fre-
quentem habet usum in constructio-
ne novorum Molendinorum: dubium
enim sæpe movetur, an privato cuius,
non requisito Magistratus, aut alio-
rum, quorum interesse posset, con-
sensu Molendinum novum liceat ex-
struere, invitis illis, qui vicina ha-
bent Molendina. Ante omnia confi-
derandum est, an extet Statutum, quo
ejusmodi exstructio prohibeatur: ju-
stissima enim potest esse hæc prohibi-
tio, ubi promiscua talis licentia in
abusum degenerat, & ob multitudi-
nem Molarum, nemo fere ob pau-
citatem molentium & graves expen-
sas, singularem industriam reparan-
dis & conservandis Molendinis impen-
dere

lib. 1. Sententia autem contra Spiren-
ses refertur apud eund. LONDORP. tom.

2. lib. 1. in fin.

18.) C. 1. de Nov. op. nunt.

dere velit, magno Reipublicæ detrimento. Tales prohibitiones sunt in illis locis, ubi reperiuntur Molendina Bannaria (Zwang-Mühlen), aut quæ in Bavaria dicuntur Ehehafft-Mühlen: item ubi a suprema potestate justa de causa certus Molendinorum numerus est constitutus, aut provisum de quodam Molitorum Collegio, privilegiis certis donato, & oneribus gravato 19.). Quamvis enim Leges reproben Monopolia 20.), utpote libertati commerciorum contraria: id tamen intelligendum solummodo est de eo privati Monopolii genere, quod damnosum est Rei publicæ vel absque justa causa derogat libertati commerciorum, vel occasionem præbet augendi pretium rerum ad quotidianos usus fervientium, vel communia commoda ad aliquorum duntaxat avaritiam derivat 21.). Advertendum tamen, non censei semper ad bonum publicum pertinere Monopolium, quod servit ad

19.) FRIDERUS MINDANUS de Mandat. Judic. Cap. 38. §. 3.

20.) L. un. C. de Monopol.

21.) Vid. AHASVERI FRITSCHII Commentatio de Monopoliis.

De Nov. Oper. Nunt. 22 F

ad utilitatem Fisci, Unde Princeps ex sola utilitate Fisci sui non potest prohibere exstructionem novi Molendini.

§. 181. Ubi nulla Lex prohibet no- *Quæ re-*
va Molendina, communis est Juris re- *gulariter*
gula, quemlibet posse ædificare in suo *quilibet*
fundo, etiamsi vicino aliquod lucrum *potest*
exinde cesset, modo id faciat utilita- *constru-*
tis suæ gratia, non ad æmulationem, *ere in suo*
aut animo nocendi. Non præsumitur *fundo:*
quidem tam sinistra intentio; ea ta-
men satis manifestatur, si impensæ in
Molendinum factæ excedunt commo-
dum, quod inde percipi potest 22.)
Censent quidem aliqui, jus Molendi-
ni numerari inter Regalia Principis, &
ideo non posse exerceri a privato abs-
que speciali concessione, vel præscri-
ptione immemoriali. Antiqui Germa-
ni certe non agnoverunt tale jus Re-
galium. Sic in Legibus Alemannorum
23.) dicitur: *si quis mulinum aut qualem-*
cumque clausuram in aqua facere voluerit,
sic faciat ut nemini noceat. Neque de re-
centiore Lege universali Imperii con-
stat,

22.) SIXTINUS de Regalib. lib. 2. c. 3.
n. 83.

23.) Tit. 83. n. 1.

stat, qua jus Molendini ad Regalia Principis trahatur 24.).

*Non ta-
men in
flumine
publico.*

§. 182. Quoad Molas aquaticas distingui solet inter flumina publica & privata. Privata dicuntur, quæ ad tempus fluunt, & patrimonii titulo pertinent ad privatos, per quorum prædia labuntur: ille enim est dominus talis fluminis, ad quem pertinuit fundus, antequam aqua ibi fluere incipit. Publica dicuntur, quæ in publico orta, perennia sunt, & perpetuo fluunt. In privato flumine suo Molendinum ædificare jure communi nemo prohibetur 25.): licet enim cuilibet commodum ex re sua percipere, quamvis hoc novum opus minuatur vicini Molendini redditus. In fluminibus publicis, etiam navigabilibus de jure communi etiam sine Principis autoritate Molendinum exstruere potest ille, per cujus fundum fluit, modo navigationi non afferatur deterior conditio, quod facile posset contingere, cum ejusmodi Molendina plerumque sint gravioris molis, & aquam reddant rapi-

24.) LEYSER. ad Pandect. spec. 426. med. 8.

25.) NOE MEURER de Jur. aquar. tract. 2. q. 1. n. 3.

pidiorem, aut aliud simile impedimentum adferre soleant 26.). Quia vero moribus nostris publica flumina Regalibus accensentur 27.), ideo nemo absque publica permissione, usu qualitercumque noxio quicquam in eo moliri potest, sicut nemo in alieno solo licite domicilium collocare potest. Idem dicendum de iis fluminibus non navigabilibus, quæ illapsu suo aliud flumen reddunt navigabile, si tamen Molendinum impedire censeatur hunc illapsum; vel in quibus quidam singulare jus & usum privativum legitime nacti sunt. Sic multi sunt minores fluvii, quorum aquas recipit Danubius, donec tandem par sit ferendis navigiis: in istis minoribus fluviiis videmus exstructa Molendina, quæ tamen nec conjunctioni cum Danubio, nec aliis singularibus juribus privatorum obfunt. unde solícite cavetur, ne per restagnationem aquæ, aut aliter invertatur cursus antiquus aquæ, damnumque inde vicinis Molis jam antiquioribus

in-

26.) ROSENTHAL de Feud. Cap. 5. Concl.
28.

27.) Lib. 2. Feud. C. un. quæ sint Regal-

inferatur. Imo hodie ex mente aliquorum, jus Molendinorum Superioritati territoriali adscribitur 28.). quo autem jure id fiat, vix apparet, nisi bonum publicum id singulariter exigere censeatur. Nam Molendini exstructio non est opus Jurisdictionis, sed domini.

Idem jus est circa Molendina Pneumatica, ac Jumentaria.

§. 183. Quæ de Molendinis aquaticis dicta sunt, fere etiam dici solent de Molendinis Pneumaticis, ac Jumentariis, si ad usum publicum, etiam in fundo proprio exstruantur: prohiberi enim possunt autoritate Magistratus, ne multiplicato Molarum numero, una alteri proventus subducatur, earumque possessores inhabiles reddantur ad necessarias expensas in earum conservationem infumendas, aut etiam ad annum Canonem Magistratui præstandum. Ex his omnibus concluditur, quampericulosa sit novi operis molitio, vel nuntiatio absque autoritate Magistratus. 29.).

An Protestantes

§. 184. Gravis oritur quæstio, an Lutherani opus novum nuntiare possint,

28.) KNIPPSCHILD de Jur. Civit. Imp. l. 5. c. 26. n. 36.

29.) Plura de Molendinis exstruendis le-

sint, quando Princeps vel Magistratus *nuntiare* Catholicus jure territoriali gaudens, *possint no-* in loco Lutherano suæ Jurisdictioni *vum opus,* subjecto, ædificat, vel ædificari permittit Templum Catholicis ritibus initiandum, vel aliud ædificium ad Catholicos usus aptandum? Abstrahendo ab omni jure Naturali & Divino, & solis Legibus Imperii Germanici inhærendo, notum & certum est, quod Principes Confessioni Augustanæ addicti post Pacem Religiosam Anno. 1555. Augustæ conclusam liberrime disposuerint de exercitio Religionis subditorum suorum, juxta vulgare illorum temporum axioma, *cujus Regio, illius & Religio*; sub qua libera dispositione intelligitur jus reformandi exer-

P

ci-

gi possunt apud HERING & MÜLLER de Molendinis: SIXTINUM & BOCCERUM de Regalibus. WÆSENBECK. Consil. 67. part. 2. Plurima Responsa Juridica de hac materia continentur in Oraculo Juridico. Vol. 10. C. 8. & Autores ibidem allegantur in Præfat. fol. VIII. junctis etiam Ordinationibus Principum circa Molendina, quales recensentur apud LUNIG in Corpore Juris Saxonici Vol. 2. lib. 4. c. 4.

De Judiciis.

citium Religionis, consequenter etiam jus erigendi ædificia huic exercitio aptata. Notum & certum pariter est, idem jus Statibus Imperii competere ex Instrumento Pacis Westphalica, quæ dicitur Lex Pragmatica Germaniæ: ibi 30.). . . Cum ejusmodi Statibus immediatis cum jure territorii & Superioritatis ex communi per totum Imperium hæcenus usitata praxi, etiam jus reformandi exercitium Religionis competat . . . conventum est, hoc idem porro quoque ab utriusque Religionis Statibus observari, nullique Statui immediato jus, quod ipsi ratione territorii & Superioritatis in negotio Religionis competit, impediri oportere. Limitatio mox adjicitur 31.), ut subditi Statuum Catholicorum, qui Augustanæ Confessionis exercitium Anno 1624. quacunque anni parte habuerunt, id etiam in posterum retinere permittantur: quam tamen exceptionem nec Archiduces Austriaci, nec Elector Bavaricæ acceptarunt. Habet igitur Status Catholicus ex Legibus Imperii jus reformandi exercitium Religionis, &

hoc

30.) Art. V. §. 30.

31.) Ibid. §. 31. Hoc tamen non obstante
 &c.

hoc ipso etiam jus ædificandi Templum Catholicum in Territorio suo: acatholici autem Incolæ hujus territorii non habent jus impediendi illud, modo illæsum relinquatur Exercitium anno 1624. usitatum.

§. 185. Ad quæstionem propositam *Quando facile eruitur ex his responsio, Lutheranos in posito casu non posse nuntiare novum opus. Unde his ipsis instrumentem non venit, ut novum opus nuntiarent, quando Electores Brandenburgicus & Hanoveranus in suis præcipuis Urbibus novas & splendidas Ecclesias pro usu Catholicorum ædificarunt. Jubetur quidem Religio conservari in eo statu, quo fuit Anno 1624. 32.)*: sed hoc ita intelligitur, ut non turbetur cujusvis Religionis exercitium, quod dicto anno in usu erat: dein in urbibus mixtæ Religionis, de quibus ibidem sermo est, haud dubie nihil innovari potest, cum Magistratus partim constet ex Catholicis, partim ex Protestantibus; neutra igitur pars reformare potest sine consensu alterius 33.)

Quando ædificatur Templum Catholicum?

P 2

TITU-

32.) Ibid. §. 29.

33.) De hoc argumento dictum est de Jur. Ker. Eccl. Sect. I. §. 21.